

pti dogmatici sensus sit, universa Fides Catholica in discrimen vocabitur. Et quidem articuli, quos Concilia in Augustino contra Pelagii hæresim approbarunt, tanquam Fidem Catholicam continentés, revocari poterunt in dubium, an satis fuerint à Conciliis intellecti.

Neque sanæ doctrinæ fati consultiur, admittens etiam Ecclesiæ authoritate falli nesciã in iudicando, an propositio (de cuius sensu constiterit, quis sit) hæretica, vel orthodoxa haberi debeat; si absque erroris periculo discernere Ecclesia nequeat, quis genuinus, & obviis propositionis sensus sit. Semper enim hæreticis aperietur janua, ut, quibuscunque definitis ab Ecclesia, vel damnatis dogmatibus, dubium moveant, an Concilium, vel Pontifex, sive definiti, sive damnati articuli sensum affecutus fuerit; quia nequit certum esse iudicium de veritate vel falsitate, de bonitate vel malitia doctrinæ, si ejus sensus non fuerit intellectus cum certitudine. Sic universa subruetur traditionis authoritas. Quid enim certi ex ea conficiet Ecclesia, si nulla patrum volumina, nullæ eorum enuntiationes intelligi certò valeant? De ipsius Scripturæ sensu, in quo solo percipiendo adversarii statuunt Ecclesiam ab erroris periculo immunem, si disceptatio emerferit, quomodo dirimetur? Examèn instituetur diligens, ut cognoscatur quomodo Patres, & præteriti temporis Ecclesia eum Divini Oraculi textum explicuerint; verùm & huic explicationi, atque intelligentiæ errorem subesse posse docent adversarii, susque deque habentes, num cunctas fidei regulas reddant inutiles, ejusque concutiant fundamenta, modò ex fidei ruina sperent se posse contra toties præpetita Ecclesiæ judicia, librum Jansenii, cum universis suis dogmatibus stabilire.

Quis sensus germanus propositionis sit, nulli unquam ante Jansenii tempora in animum incidit quæstionibus facti annumerare; verùm Jansenianis id modò opus est, in sua contra Ecclesiam rebellionem, ut eorum se tueantur authoritate, qui in facti quæstionibus errorem Pontificibus, atque Conciliis obrepere posse existimant. Vident scilicet, admittens definitionum certitudine circa Articulos, seu propositiones singulas, facilem gradum fieri ad certitudinem in condemnandis capitibus, & libris, qui ex propositionibus componuntur.

Idem Janseniani voluminis defendendi amor compellit ipsos admittere, quod Sacrorum canonum, sanctionum, legum omnium Ecclesiasticarum, & civilium sensus, intellectus, explicatio, non ad jus, sed ad factum

pertineat, quod absurdissimum esse, & ab omni sano iudicio alienum quivis facile percipit, si Jansenistas, in Jansenii gratiam excutire pertinaciter volentes, exceperis. Cum autem Quesnellus, & ejus focii propitios sibi velint esse S. Thomæ discipulos, eorum hic audiant, & sequantur iudicium. Magister Bartholomæus à Medina in 3. part. D. Thomæ quæst. 16. art. 1. ait: *Imò dico, quòd potest errare contra fidem, qui non conformatur Ecclesiæ Catholica in modo loquendi, ut si talis sentiret Ecclesiam Catholicam non esse regulam infallibilem ad proponendas veritates fidei in proprietate sermonis; nam ille erraret contra Articulum fidei de infallibilitate Ecclesiæ ad proponendum.*

Magister Dominicus Bannez in 2. 2. D. Thomæ quæst. 11. art. 2. §. Circa secundam conclusionem dubium est an ex verbis inordinatè &c. ita scribit: *Cùm aliquis loquitur inordinatè sic ut talis locutio sit prohibita ab Ecclesiâ, existimat autem ille Ecclesiam errare in hoc, quòd ita loquendum definit, vel etiam putat licitum esse aliter loqui, quàm Ecclesia definit; & dicimus hanc esse hæresim, & habere errorem in mente, scilicet hunc: Ecclesiâ non est regulam infallibilem ad definiendum modum loquendi in rebus fidei. Quàm conclusionem copiosè probat, tandem concludens: Sentit igitur pertinaciter circa dogma fidei, qui negaverit loquendum esse de Mysterio Trinitatis, ut loquitur Ecclesiâ, & similiter de aliis mysteriis, etiam si errorem non habeat circa Mysterium Trinitatis.*

Audit Quesnellus doctrinam suam erroris in Fide, atque hæreseos damnari à Theologis præclarissimis, & quidem ipsiusmet Scholæ Thomisticæ, cui se adhærentem aded, atque conformem plenè buccis ubique prædicat, seu potiùs simulat ad incautos decipiendos: Non tamen hujus solùm hæreseos reus est, quòd aliter, quàm Ecclesiâ definit, loqui, ac scribere sibi licitum statuat; sed in gravissimis præterea Fidei, ac Religionis Articulis toto sensu, ac dogmate ab Ecclesiâ eum dissidere, sequens de Propositionibus Tractatus luculentissimè convincit.

CAPUT XIX.

Finis Epistolæ discutitur.

OBTESTOR præterea (inquit) Sanctitatem Vestram, BEATISSIME PATER, nè ulla ratio habeatur tot calumniarum, quæ in me sæpius absque ullis argumentis, & ex inanissimis conjecturis jactatæ sunt, quæque in ipsum etiam librum recidere possent, si propositiones extractæ